

ad Dalmatū peruenit. Ac diuisione facta Constantino Gallia, Hispania, Alpes, Cottia, Britannia, cesserunt. Qua non contentus ob Italiae Africaeque ius, cum Constante dissentire coepit, Legatosque de noua facienda diuisione, misit. Cū autem minimè proficeret longis querimoniis, suis viribus fretus, rem armis exequi statuit, ac bellum civile contra ius, fratri mouens, regiones, eo absente, depopulatus est. Et iam ad Aquileam peruenerat, ubi primū missos à fratre milites, ut conatum eius repellerent, excepit, & incautiū foedēque temulentus cum illis congressus, cū equus principis ictus vulnere sessorum deiecisset, à militibus circumuentus, humi iacens sine purpura incognitus, multis ictibus confossus & obtruncatus est, ac in fluiuium, cui nomen Alfa, haud longè ab Aquileia, proiectus, Aetatis anno x x v. Imperii triennio nondum finito.

In hoc Numismate duæ statuæ loricae, paludatae, galeis cristatis impositis, adparent, quæ ad dexteram stat, demissa sinistra clypeum, dextra hastam fert. Quæ verò ad dextram consistit, dextra manu clypeum, sinistra hastam tenet. Inter vtranque signum militare est positum, cui appensum labarum, in quo hoc signum videtur, cum inscriptione: GLORIA EXERCITVS. Infrà: H. S I S.

D A L M A T I V S Anaballiani Constantini Magni fratris filius, Cæsar & hères vnà cum filiis à patruo institutus, in Oriente imperauit, in omni actione patruo, quàm patri similitior, vnde & virtus illi obfuit. Nam vix tertium Imperii adimpleuit annum, cū factione Constantii patruelis est interfectus, seditione militari, Constantio dissimulante.

Argentea hæc moneta ex altero latere continet statuam Apollinis nudam, corona ad radiorum similitudinem composita, ornatam: dextra globum, sinistra flagellum ferentem, addita inscriptione huiusmodi: SOLI INVICTO.

A            CONST